philosophiae causâ, Mullerum; historiae, Ioecherum: sa-  
crorum quidem historiae, Kieslingum; in Hebraicis  
litteris, Schmidum, nunc Numburgae sacra publica curan-  
tem: theologiae propter dogmata, Ruefium et Tellerum; in  
morum e sacris doctrina et in interpretando, Deylingum ac  
Tellerum; officii futuri pastoris in legibus explicandis, Klau-  
fingum. Per colloquia velitatus est praemonstrante Deylin-  
gio, et publico colloquio scriptum propositum *de nundinatio-*  
*ne sacra* praeside Kieslingio anno superiore defendit. Secun-  
dum ea philosophiae Baccalaureus ab ordine nostro est dictus.

## BENIAMIN GRODDECK

### GEDANENSIS

**G**edani, patre, V. C. Carolo Groddeck, ciuitatis eius  
consule, matre autem Susanna Regina Martens, spe-  
ctati olim mercatoris filia, prognatus a C. N. c. 1510 cc xx,  
rudimenta litterarum didicit a magistro Vuagnero gymnasii  
patrii ad classem tertiam collega. In ipso gymnaſio pro-  
fessoribus artium eorumque scholis adfuit ab anno aetatis  
xiiii, atque eo in Stadio annis ferme viii sic perrexit,  
vt in theologia audiret Verpoortennium; in historiarum ac  
Iuris prudentiae studiis, Vuillenbergium; in physica, Kul-  
mum; in reliqua philosophia, Hanouium; in mathesi,  
Kulmum; in stili Latini praceptoribus, Lengnichium; in  
orientis litteratura, Fidalkium. Lipiam post illa accessit  
a C. N.

a C. N. cīcīs cīcī xxxxi, inter cīres nostros adscriptus rectore Klausingio. Doctores hic sectatus est, philosophiae et matheseos causa, Vuolffium, artium magistrum et collegii Mariae Virginis eo tempore collegam: quo ad vitam meliorem euocato, ad audiendum in omni philosophia Vuinclerum se contulit, cursumque philosophiae absolutus sub eo, et physicam experimentis declarantem, et theologiam naturalem exponentem audiuimus: eo que praeceunte declamationibus et colloquiis academicis ingenium exercuit. Historiae causa publicis Ioecheri recitationibus interfuit: in reliquis litteris peculiari prudentum opera est usus.

## GVLIELMVS PAVLVS VERPOORTENN

C O B V R G E N S I S

**N**eostadium ad ericas, sic Theotisci agnominis e figura nob myricae fere genus, cuius in proximo collis ferax est, appellant, fertur enim, Neustädlein an der Heyde, atque idem an der Krempe, et vorm Walde, non incelebre agri Coburgensis in Franconibus, qua saltus late et montium iuga Thuringos a finibus illorum praecingentia surgunt, municipium est, quodam etiam antiquae simplicitatis ludibrio, de quo Limnaeus tradit, laudatum. Eius ciuitati et agro a sacris publicis antistites, quem superattendentem vulgo vocant, cum esset pater, Albertus Meno, clarum suo merito inter sacrarum litterarum doctores mihi que olim amicum nomen, hunc filium suscepit a C. N. cīcī cīcī xxii, ex vxore Iohanna Albertina, Ioh. Burc. Rosleri, iuridiciad Coburgicum tribunal primicerii, quem cancellarium vocant, filia. Pater quoque Coburgo honestissima domo oriundus, in eam urbem paullo post reuocatus est, ut gymnasium academicum regeret: deinde Daniscano gymnasio eadem dignitate, simul sacris faciundis in aede sacrosanctae trinitatis praefectus, filium, qui Coburgensis interea curiae in Iudo idoneis sub magistris maturerat, domicilii transferendi comitem habuit. Quae ciuitatis florentis in parentem voluntas fuit, ea hunc quoque souit

XXIII

souit duodecim fermē annis in gymnasio litteris descendis ita operatum, ut sacrarum litterarum et historiae facrorum doctorem haberet patrem; historiae catholicae, Vuillen-bergium; physicae, Kulmum; eloquentiae sermone latino, Lengnichium; logicae ac metaphysicae, Hanouium; Graecarum litterarum atque Hebraicarum, Fidalkium; mathe- seos ferme omnis, Kuhnium: quorum cunctorum in se fidem ac bene merita laudat. Ad altiora cum adspiraret et Ienam aditus esset, secundam atque tertiam, quae Iohannis apostoli nomine praescribuntur, epistolas, non esse ab alio scriptas, singulari ac humanitatis litterarum pleno libro demonstrauit, atque praesidente ei colloquio patre, pu blice defendit. Ienensem autem academiam petuit a C. N. c. 1500 xxxxi, ibi que duobus commoratus annis, in facrorum disciplina atque orientis in litteris, et in philosophia ac Matheis, doctores, quorum fidem ac doctrinam celebrat, habuit, Halbauerum, Zullichium, Pfeifferum, Reuschium, Hambergerum: publice item colloquio insti tuto et scripto proposito locum difficilem in libro vatis Esiae (cap. xxv, versu 5) scite enarravit. Quo altero ingenii specimine edito cum vale dixisset Ienensi, ad Lipsiem academiam libenter superiore anno conuerfus est, in ciuium nostrorum numero scriptus rectore Menzio. Hic historiae omnis perdiscendae causa doctorem adhuc sectatus est, Ioecherum; in antiquitatibus rei Christianae, Chladenium; in omni re litteraria, in que antiquitate artium bonarum intellegenda sic ad me se contulit popularis ac municeps meus et vetere parentum amicitia spectatus, ut industrius in primis atque assiduus sermonibus meis auditor adhuc interesset, clarae que indolis ac morum docu mента ut ederet haud aspernanda.

JOHANNES HIERONYMVS HETZER

L I P S I E N S I S

Natus in hac vrbe a C. N. c. 1500 xxiii, patre Hieronymo Godelibio, qui Dresdae Regis in sanctiore consilio

consilio ab epistolis secretis idemque supremae Iuridicorum conuentus Lipsici curiae ab actis primarius, quem Protonotarium, appellant, meruerat: matre, Iohanna Sophia filia Iohannis Martini Hemm, qui vini commercia et tabernae celebris hospitia superioribus annis cum laude exerceuit, nunc honesta aetatis vacatione octogenarius vtitur. Is maxime Iohannem Hieronymum, vtroque parente orbatum liberaliter, vt solet, auus suscepit, atque amitae illius marito, Samueli Vueseissensee, qui consiliarius et pro quaestore redditum Regi meret, tradidit educandum, omni que generi beneficiorum semper souit. Quod grato animo, quemadmodum et nutricii affinis et amitae in se officia, agnoscit ac profitetur nepos, ait que simili meritorum praedicatione, ei negotio plurimum ponderis consilio, auctoritate, fauore suo adiecisse virum primarium Vualtherum, potent. Regis nostri a consiliis aulicis atque archiatrum ordinis que medicorum in hac academia decanum, qui materteram eius in matrimonio habuerat. Sic litterarum rudimentis institutus est sub disciplina Vuincleri, nunc collegae nostri, et Opitii, qui ad ludi principialis in partibus suis curam postilla Grimam est vocatus. Inde ad Portensem ludum cum concessisset, sub magistris Freytagio, cui plurimum se debere ait, Vualthero, Stubelio, Hentschel, Geisler, Heymann et Hubischio, quinque annis profecit. Lipsiam reuertit a C. N. c1010 cc xxxxi, Gottschedio rectore in tabulis ciuium nostrorum scriptus. Honestarum hic artium doctores adhuc habuit, philosophiae omnis caussa, Vuinclerum; in humanitatis litteris, Kappium; in oratoria, Gottschedium; in historia, Ioecherum. Iuris prudentiae item discenda nauans operam scholis Schacheri, Menkenii, Mascouii auditor interfuit.

### IOHANNES BENIAMIN BOEHMER

LIGNITIO SILESIVS

**L**ignum, siue Lygionitum potius, si vera videatur,  
quam honesta scriptorum ingenia prodiderunt, a Lygiis

D

anti-

## XXVI

antiquae Germaniae populo nominis origo, vetus ac nobilis  
in Elysis, qui hodie Silesii, vrbs est. Ibi Beniamine patre,  
qui myropolium exercebat, quales etiam aromatarios vulgo  
dicunt, matre, Anna Juliana Neuhufia, natus a C. N.  
c. 1500. XVIII, matris praesertim curae debet, cum pater  
fatis concessisset, quod idoneos per magistros ad litteras et  
bonam mentem probe diligenter que est formatus. In his,  
qui ludo patriae litterario praesunt, memorat Vuollium,  
Bocerum, Foersterum, Hoppium et Boehmum; praesertim  
insignem Ioppichii rectoris benevolentiam in se et curam  
gratus praedicat. Lipsiam venita C. N. c. 1500. XXXVII,  
in ciuium catalogis scriptus rectore Vualthero, cuius pro-  
lixam in se voluntatem ab eo tempore expertum esse ait.  
Scholis hic publicis priuatis que auditor interfuit, philo-  
phiae omnis et physicae per experimenta declarandae cau-  
sa, Vuincleri; matheseos nomine, Baermani; in latini  
sermonis ac stili facultate Ernestii, sub quo etiam quaestio-  
nes propositas argumento perscripto per colloquia priuatim  
disputasse profitetur. Porro in re medica se doctores secta-  
tum esse, Vualtherum, Hebenstreitum, Quellmalz, Hart-  
ranft, Ludeuigium, eisque omnibus ob doctrinam et  
beneficia plurimum se debere: in chemicis item per aliquod  
tempus Kramero, viro earum rerum inprimis perito, se  
libenter vsum esse: sed eo maxime se sibi fortunatum videri,  
quod peculiari modo adiuuandum tuendum que suscepit  
ampliss. Platnerus. Eius enim benignitate et consilio,  
plus annis quinque, cum inopiam suam liberaliter leuatam  
animum que ad constantiam studiorum erectum: tum etiam  
doctrina se mirifice auctum fuisse. Pro quibus se semper  
ei obstrictum futurum. Colloquiis academicis, quibus  
controversa rei medicae capita tractabantur, se exercitum  
ait praeeunte Ludeuigio, et publice item sub eo, argu-  
mentis a se perscriptis, ter disputasse, eiusque etiam inter  
doctores suos benevolentia se adhuc frui: neque non, e  
cathedra nostri ordinis id ingenii specimen dedisse, differ-  
tatione sub praeside Hoffinano proposita, de matricibus  
metal-

*metallorum.* Cum Silverstenium togatae studiorum militiae stipendum, medici ordinis fauore, in ipsum liberaliter collatum esset, oratione publice in iure consultorum acroaterio recitata a C. N. c*10*0*cc* XXXI, institutis maiorum satisfecit.

## JOHANNES CHRISTIANVS SCHVCHARDT

ARNSTADIO THURINGVS

**A**rnostadium in Thuringis agri Suarzaburgici ad Hierae flumen non infrequens et praetorio spectandum opidum est. Ibi pater Iohannis Christiani honestum ex arte sua quaestum equo ephippiis sternendo exercet et scribam centuriis ciuium agit. Ex hoc et matre Bachouia natus ibi a C. N. c*10*0*cc* XVI, in ludo patriae litterario rei Christianae atque artium rudimenta didicit sub magistris, Greufsenheimer, Ruechsel, Kempf, Gallub: Eberhardo item, et Apelio, et Ottone. Sic se praeter Latinas, Graecas, Hebraicas que litteras, poeticae facultatis initia, et historiae, et geographiae perceperisse, etiam hospitio interea et benevolentia honestorum virorum usum, et militiae litteratae stipendiis prudentum commendatione adiutum esse, gratius profitetur. Lipsiam delatus a C. N. c*10*0*cc* XXXVII, nomen in ciuib[us] nostris professus est sub rectore Vualthero. Latinis Graecisque in litteris ut lectione veterum facultatem sibi pararet, recitationibus publicis meis Ernestiique auditor interfuit, et huius consilio ac favore se libenter usum testatur. In Hebraica, Chaldaica, Syriaca litteratura, Hebenstreitum sectatus est: in matheos rudimentis et in Gallicis Hetruscis que litteris, idoneos item magistros: in philosophia vniuersa, Mullerum: in Historia, Ioecherum: in eloquentiae contemplatione atque usu tribus annis, Maium. Praecipuum ex magnifici nunc rectoris Mulleri sermonibus super logica ex viu noscenda se fructum cepisse ait. In sacrorum doctrina dogmata et controversias eum docuit, Klausius: interpretandi rationem, idem ac Tellerus: morum praecepta, Tellerus:

## XXVIII

muneris futuri prudentiam, Deylingius: declamandi vsum, Fridericus ac Tellerus. Audiuit praeterea super epistola Paulina, Deylingium: libros symbolicos explanantem Boernerum: mox super eis colloquio instituto tres per annos disceptauit cum aliis et profectuum testes codicillos subinde conscripsit, praeeunte Hebenstreitio. Recepit se item inter conuictores mensae collegii Paulini regiae fauore Boernerii, et in hospitia honestorum virorum, quorum liberis erudiendis praecepsit, traditum, et benevolentia et fide Ioh. Chr. Martini bibliopolae adiutum; et superiori anno, praeside collega nostro Maio, quaestionem publice propositam e cathedra memorat defendisse.

## IOHANNES ANTONIVS HEERMANNVS

I S L E B I A S A X O

Natus Islebiae a C. N. CIO IOCC XVIII, patre, Israele Heermanno, qui sacris ea in vrbe mandati gregis pastor praeest et sacrorum in consilio assessor meret: matre Dorothea Sophia Hanckelia. Parentum beneficio et cura rei Christianae ac litterarum rudimentis diligenter informatus, ad gymnasium patriae deinde accessit, in quo sub Reineccio rectore, ac Toelkio, Stoepelio que, cuius item laudat industriam, conrecloribus, humanitatis litteraturae operam nauauit. Lipsiam venit a C. N. CIO IOCC XXXVIII, numero ciuium nostrorum insertus rectore Kappio. Hic praelectionibus adsuit, philosophiae omnis causâ, Mullerianis; in historia, Ioecheri; in Hebraicis litteris, Hebenstreitii; et in sacrorum doctrina praesertim Klausingii, cuius in se voluntatem et fidem gratus praedicat. Eius quoque ductu se quaestionibus super doctrinæ principiis vtiliter tentatum et Voeissi scholis, quem erectum dolet, vsum fuisse. In enarrando sacro codice Deylingium se sectatum, atque, in morum e sacris doctrina, et in oratoria sacra, quem plurimum se colere ait, Tellerum: in reliqua oratoria, Maium. Sic quinque

inter

inter nos annis exactis vicinam ad Salinas academiam pettit, atque ibi praesertim celebris theologi Baumgartii institutione est vsus. Iam nunc Mersburgi agit, vbi filiis viri primarii et consiliarii principalis Iusti additus, eorum studia litterarum regit, simul multam nutriti*ii* sui humanitatem experitur.

**C H R I S T O P H O R V S   H E N R I C V S  
R O E S S E L I V S**

B A R V T H I N V S

**M**arlesruta vicus est in Franconibus agri Baruthini, Curia Nariscorum in occasum distans, qua Papebergensis territorii a Cronacio finis est. In eo natus a C. N. c10 10cc XVI, patrem habuit Iohannem Henricum, fabrum lignarium; matrem habet, Annam Mariam Ranckiam. Cum parentum adiuuari voluntate et votis posset, opibus non posset, erudiendum eum benevolenter suscepit Ioh. Nicol. Mullerus, qui sacris curandis prae*est* Selbitii; ea familliae comitum gentis Ruthenae in vicinia sedes est. Is super praefita salutaria doctrinae officia, commendatione sua tradidit eum in clientelam ac domum illustrissimae tum comitis Ruthenae, Iuliana*e* Rebeccae, ybi liberaliter altus, litterisque ac moribus institutus est. Inde Curiam adiit, atque in ludo eius opidi litterario non incelebri septem annis meruit, sub magistris Longolio, Troegero, Bugka, Voelkel: quorum, et praeterea nutritiorum ibi suorum, fidem ac liberalitatem gratus laudat. Vale cum Curiae, ut mos est, publicis ac priuatorum beneficiis auctus, dixisset, Lipsiam venit a C. N. c10 10cc XXXVIII, censu*n* nostris rectore Kappio. Eum sibi prolixa voluntate et consiliis spectatum, et rationem studiorum, quam libenter sequeretur, praescripsisse, atque praesidio rebus in multis fuisse, gratus ac memor profitetur. Doctores inter nos sectatus est, in philosophiae quidem studiis, Mullerum, Vuinclerum, Birnbaum; in mathesi, Sichardum; litteraturae

turae utriusque Latinae ac Theotiscae causa, Kappium, me que, et Gottschedium; in historia, Ioecherum, et rursus Kappium; Hebraicis in litteris, Hebenstreitium, et Sankium. Theologiae causa adiit, in sacro codice interpretando, Deylingum et Hoffinanum: in dogmatum et controuersiarum, et muneres futuri, et symbolorum ratione explicanda, Boernerum, Pfeiferum, Klausingum, Tellerum, Hebenstreitium, Vueisum: in doctrina morum, Sankium: in declamando, Vuollum, et Pezoldum, cuius praedicat animum in se liberalem. Praedicit item nominatim eos, a quibus adiutus vel mensae Paulinae conuictor receptus est, vel auctus sportulis, qualibus utcunq; levare honestorum ingeniorum inopiam natio Bauarica solet, vel qui alioqui in eum benefici extiterunt, quorum quidem copia, dum diuini Numinis indulgentia bene erit huic ciuitati, dum sensus erit bonarum artium, indigentiori virtuti non est defutura. In his, praeterquam Kappium, appellat Huhnium artium magistrum atque ad diu Thomae aedem sacris curandis praefectum; et Godofr. Aug. Mehligium, et Frider. Knofsum, virum honestum Architectonem. Praeterea memorat praeside Vuollo se quaestionem *de affectibus* publice propositam colloquio cum eruditis disputasse.

### IOHANNES CHRISTOPHORVS RHOST

D O N D O R P I O   T H U R I N G V S

**D**ondorpium non procul Erfurtho vrbe et Hierae a flumine vicus est in Thuringis, qua regis nostri imperio subiecti sunt. Ibi cum sacris praeceps mandati gregis pastor Zacharias artium magister, hunc filium sustulit a C. N. CIO IOCC XVII, ex vxore Sabina Dorothea Muhlmania, quae item a maioribus sacro ordini addictis prognata, nuper cum duodecimo anno vidua ageret, ad meliorem vitam est euocata. Non procul Dondorpio veteris instituti monasterium est ludo litterario adornatum, cui ab eo vico nomen inditum. In eo post arrepta rei christiana ac litterarum rudimenta quinque annis alumnus vixit et sub rectore Kalandio

Iandio in Latinis Graecis que litteris profecit. Inde venit Buttstadium, annis II sub Pocaro artium magistro, nunc rectore ludi Quernofurtensis, fideliter institutus, et favore sa-  
crorum ibi antistitis primarii Scheibleri, cum ipsis filium  
litteris erudiret, adiutus est ita, ut aditus ad ludum Numbur-  
gensem fieret, in quo magistris Peucero ac Schochero annis  
meruit ferme tribus. Ei cum rite atque ordine vale dixi-  
set, Ienam vertit a C. N. c10 15cc xxxvi, rectore Vual-  
chio. Doctoribus Ienae auditor adfuit philosophiae caussa,  
Steluuagio ac Reuschio; Hebraicae et reliqui Orientis lit-  
teraturae in studiis, et in enarrandi sacri Codicis doctrina,  
Rusio ac Tympio; in disputandis per colloquia doctrinæ  
capitibus, Coruino, artium magistro; in stilo exercendo  
atque in oratoria, Halbauero. Ad interiora sacrarum litte-  
rarum ut se penetraret, dogmata e recitationibus Vualchii  
et Reuschii; morum e sacris praecepta, et controuersias, et  
historiam rei christianaæ atque instauratorum facrorum rur-  
sus a Vualchio didicit. Quibus addidit iuris naturae scita,  
Schirschmidio, et physicen, Stockio praeceuntibus. Lipsiam  
postilla venit a C. N. c10 15cc xxxviii in ciibus nostris  
adscriptus rectore Richtero. Hic facrorum doctrinam cum  
secatetur doctoribus in ea adfuit Pfeiffero et Klausungio  
dogmata explicantibus, atque interpretandi praecepta et  
controuersias, Deylingio et rursus Klausungio, sub quo etiam  
bis publice quaestiones propositas defendit. In orientis  
litteratura et in interpretandis sacri codicis verbis, Heben-  
streitium audiebat: in declamando Hoffmannum: in philoso-  
phia, Vuinclerum et Gottschedium: in historia, Ioecherum.  
Secundum ea in domum Vuinclerianam, potentiss. Regi  
nostro consiliarii aulici, receptus, liberis eius custos additus  
meret.

FRIDERICVS AVGVSVTVS MULLERVS.

L V C E N A M I S N I C V S

SACERDOTI L u cena, vulgo Lüzen, Mersburgicae ditionis in agro  
Lipisco opidum, Leucopetram ab hac vrbe ten-  
pentibus occurrit. Superiore id saeculo magno pro  
libertate

libertate Germaniae praelio claruit. Patre Samuele ibi decurionum praefecto et ad tribunal Mersburgense caussarum patrono, matre Eua Magdalena Kranzia, decurionum item praefecti et portorii venalium procuratoris in opido Sceuditio adiuncti filia, natus noster a C. N. c. 1000 xviii, litterarum et rei christianaे rudimenta in domo patris didicit. Inde ad gymnasium Mersburgense accessit a C. N. c. 1000 xxviii, magistris Henckelio, Hoffmanno, aliis usus. Lipsiam venit a C. N. c. 1000 xxx, atque in ciuibus nostris census est rectore Hommelio. Doctores hic sectatus est philosophiae caussa magnificum hoc tempore rectorem, Mullerum; sacrarum litterarum caussa, quantum ad dogmata, Klausingum ac Deylingum: in Hebraicis, Sauckium: in reliquis facrorum disciplinae partibus, Tellerum et Crusium, artium magistrum: in historia rei christianaे sacra atque in antiquitatibus Iudaicis, Kieslinum: denique historiae catholicae in studio, Ioecherum.

### G OTTLIEB L EBRECHT S ACHSE E P P E N D O R P I O M I S N I C V S

Eppendorpium in montanis Misniae vicus est Fribergam inter urbem et Augustiburgum arcem ferme medio meridiem versus: natale olim Henrici Eppendorpii solum et origo nominis, quod per scripta illius et rixam cum Erasmo vtcunque tum claruit. Loci enim, non gentis, quod aliqui putauerunt, id vocabulum fuerat. Ibi natus a C. N. c. 1000 xxii, patrem habuit sacrorum in eo agro antistitem: matrem habet e gente Hornigia oriundam. Litterarum rudimentis cura patris informatus, decimo aetatis suae anno Chemnitium est deductus doctrinae caussa, et mox Misnam, vt in illustri eius urbis ludo litterario principalis munificentiae alumnus esset. In eo humanitatis litteras didicit sub idoneis magistris, e quibus praesertim Vueissii, Kauderbacii que prolixam in se voluntatem laudat. Lipsiam adiit a C. N. c. 1000 xxxx, census inter nostros rectore

rectore Kappio. Ab eo tempore adfuit recitationibus meis in Plautum et Suetonium publicis, et in Ernestii super Ciceronis de officiis opere. Doctores praeterea audiuit in philosophiae studio, Gortschedium; in logica quoque et in antiquitatibus sacrorum, Chladenium, cuius praedicat fauorem; in historia sacrorum rei Christianae, Vuollium; theologiae causa, Boernerum, Deylingum, Rueisum, Vuollium, et in primis per omne sacrarum litterarum genus, Tellerum, cui adeo plurimum se debere profitetur. His ait se addisse philosophicas theologicas que preelectiones Crusii. Etiam commemorat Langium studiorum comitem, qui inopiam eius benevolentia iuaret, et Consilium in potentiss. regis prouocationum tribunali Chladenium, qui se, ut studia regat et mores filii, Dresdam nuper vocauerit.

C A R O L V S C H R I S T O P H O R V S  
F R I T S C H I V S  
C I Z A M I S N I C V S

Patrem habet Christophorum, sacrorum collegii, quod Ciza in vrbe est, viatoribus praefectum; matrem Sophiam Elisabetham, Christiani Goerschii, qui sacra quondam Elsterbergae crediti gregis pastor curabat, filiam. Ex his natus Cizae a C. N. c. 1000 XXI, priuatim instituendus litterarum et rei christianaे rudimentis traditus est Algeiero artium magistro, dein sacris curandis admoto in vico, cui vocabulum Langenau. eius fidei plurimum se debere profitetur. Postea in ludum litterarum patriae deductus sub magistris Schaulio, Henningio, Cramero, Schenkio, Boettgero, Bernardo profecit, et in primis Leisnero, cuius diligentiam praedicat, usus est. Lipsiam se contulit a C. N. c. 1000 XXXX, censu in nostris rectore Kappio. Doctores hic sectatus est in philosophia, Vuinclerum et Baermanum; in historia, Ioecherum; in Hebraicis litteris, Hebenstreitium ac Boskium; in theologia, Tellerum, Deylingum, Klausingum, cui se plurimum debere ait, atque eo

E mode-

XXXIII

moderante et item Bozekio, ingenio quaestonibus acuen-  
do, et colloquiis academicis tentando, se operatum esse.

IACOBVS IMMANVEL WAECHTLERVS

IV TREBOCENSIS SAXO

**I**utrebogae in opido aedi diui Nicolai procurandae antistes,  
idemque magister artium, Paullus Jacobus Vuaechtlerus  
hunc filium suscepit a C. N. c1510cc xx, atque ipse litterarum  
rudimentis ac morum praeceptis, quod ille gratus  
profitetur, diligenter formauit. Deinde priuatim institutus  
est multa cura ac fide Boetgeri, gymnasii Iutrebocensis  
collega secundo, quem ad gymnasii Cicensis culturam euocatum  
secutus est, eius que, et Bernardi A. M. et gymnasii eo  
tempore rectoris, et Leisneri artium magistri, qui illi succes-  
fit, plurima benevolentia se adiutum memorat. Ibi tribus  
annis mansit, quanquam ille, cuius in primis doctrinam  
amplexatus fuerat, ad Mulhusae gymnasium curandum rector  
interea vocaretur. Lipsiam conuersus a C. N. c1510cc xxxx,  
adscriptus in ciuibus rectore Kappio, in litterarum stu-  
diis sic rationem instituit, vt audiret philosophiae caussa  
Vuincklerum; in discenda Hebraeorum litteratura, He-  
benstreitium, cuius praedicat fidem; in doctrina sacrorum,  
Vueisium, Tellerum, Vuollium; in historia, Ioecherum;  
in rhetorica, Gotschedium; denique meis recitationibus  
rerum antiquarum atque interioris litteraturae caussa vt in-  
teresset. Ingeniis colloquiorum velitatione acuendis, et  
explorandi profectus vsui, declamandi que cuidam facultati  
quaerendae, sodalitates subinde in hac vrbe, inter alia lau-  
danda honestae doctrinae compendia, instituuntur. Ea-  
rum quibusdam se socium adiunxit ait, moderantibus tum  
Vuolfio artium magistro; postea diuersis institutis Gott-  
schedio ac Vuollo: neque alia de caussa sub Hebenstreitio  
in societatem φιλοσυγγρέτων receptum, in qua capita doctri-  
nae sacrorum per vices perscrubuntur ac disputantur.

GOTT-

## GOTTLOB BENIAMIN VVEINMANN

HIRSBERGA SILESIUS

**C**lara scriptorum quoque ingenii in Silesiae montanis Hirsberga, quam Ceruimontium aliqui latinis litteris vertunt, non infrequentis opidi dignitatem tuetur. Ibi patre Georgio Vueinmanno, qui ludo Hirsbergae litterario pro rectore praefest, matre Eua Rosina Neunherzia, natus a C. N. c. 1510 CC XXII, patris praesertim fidelissima institutione factum esse ait, ut humanitatis litteras diligenter edoctus ad academicae doctrinae spatia praeparatus accesserit. In reliquis aliorum magistrorum, qui ei ludo prae-funt, fide atque opera se vsum esse. Lipsiam venit a C. N. c. 1510 CC XXXXI, in ciuium nostrorum catalogo inscriptus rectore Klausingio. Doctores hic sectatus est, in philosophia et mathesi, Vuinclerum; in historia, Ioecherum; in litteris Hebraicis, Hebenstreitum ac Sankium; in theologia, Boernerum, Klausingum, Deylingum, Vueisium, Tellerum, et rursus atque imprimis Hebenstreitum, cuius academicis quoque colloquiis, super theologiae capitibus controuersis, disceptator interfuit.

## GEORGIVS DAVID ALAND

IV TREBOGENSIS

**I**treboga in finibus agri Saxonici, Vitemberga versus or-tum aestuum distans, cum arce opidum est, conuentu maxime virorum principum superiore saeculo nobilitatum. Ibi natus a C. N. c. 1510 CC XII, patre Georgio, medico et senatore, matre Anna Catharina Kloßia decurionibus eo in opido praefecti filia, priuata primum disciplina creuit sub magistro Vuahnio, qui nunc in vico prope Itrebogam, cui Longolipsdorp nomen, sacris prae-fest; mox in gymnasio patriae sub Fingero rectore, qui postea ad sacrorum ibi curam Archidiaconus accessit, et Tiemano, Scharnouio que praceptoribus profecit. A

E 2

C. N.



Ye-7330 A X 2373860

C. N. c. 1500 XXVIII in gymnasio Mersburgensi litteris dare operam coepit vñus que est praceptoris Vhsei atque Henckelii duobus annis. Quibus exactis Vitebergam petiit, atque ibi humanitatis litterarum et iuris ciuilis artiumque in studiis audiuit Leyserum, Baftineller, Menkenium, Krausium, Vuernherum, Chladenum, Crellium, Vaterum, Bergerum, Hassen, Hollmanum. Inter quos praeferunt Menkenii fauore se adiutum gratus commemorat. A C. N. c. 1500 XXXIII Lipsiam se accessisse, studiis academicis illustr. Comitis a Flemming custodem additum, atque ab eo tempore se in primis vñsum patrocinio V. C. Ioh. Iac. Mascouii, mox anno circumacto vna cum Comite suo se Vitebergam reducem factum esse, commemorat. Ibi cum denuo annos egisset duo, studiorum confors ab ill. Dom. de Leubniz legitur Lipsiae, et hoc quoque exacto stadio, peregrinationis per confines Germaniae populos ac regna focius. quod in praecipuis illius beneficiis ac propensae voluntatis documentis, quemadmodum istud quoque a perill. Barone Bachouio ab Echt in se factum gratus memorat, quod ei in Batauos proficiscenti per aliquot menses comes adscitus est. Sic hos apud populos, atque ante in Gallia, annos II moratus, ad Lipsiam repetendam animum adiecit, se que nostrae ciuitati dicavit a C. N. c. 1500 XXXI, nomine in tabulis consignato rectore Klausingio. Hic autem denuo ill. liberi Baronis ab Hohenthal studiis litterarum regendis comes additus, atque gentis eius voluntate, quam gratus praedicat, alleuatus, cum eo variae doctrinae caussa sectatus est doctores, Mascouium vtrumque, Ioecherum, Menkenium, Gottschedium, Haufenium.



B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta


Red

Yellow

Green

Cyan

Blue



BL. 534.37

B.M. II

Y.C.  
7330

LECTIONIS ASSIDVAE BONA  
XXI PHILOSOPHIAE CANDIDATIS  
QVI MAGISTRI CREANTVR  
RECTORE MAGNIFICO  
ATQVE EODEM ORDINIS PHILOS  
HOC TEMPORE  
DECANO SPECTABILI  
AVGVSTO FRIDERICO MULLERO  
PHILOS. ET IURIS VTRIVSQUE DOCTORE  
ORGANI ARISTOTELICI PROFESSORE PVBL  
ET MINORIS PRINCIPVM COLLEGII  
COLLEGIATO  
PROCANCELLARIO SPLENDIDISSIMO  
CHRISTIANO GOTTLIEB IOECHERO  
SACROS. THEOLOGIAE DOCTORE HISTOR  
PROF. PVBL. MAIORIS PRINC. COLLEGII  
COLLEGIATO ET BIBLIOTHECAE ACADEM  
PRAEFECTO

CARMINE SOLEMNI COMMENDAT  
IOH. FRIDER. CHRISTIVS P. P

D. XIII. FEBR. A. C. N. CIC 10CC XXXXIII

BIBLIOTHECA  
PUNICARUM  
LIPSIAE  
EX OFFICINA LANGENHEMIA

UNIVERSITATIS BIBLIOTHECA  
HALLE (SAALE)